



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Atrebaten. Episcopo. & Decan Cameracensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

desponsatio ipsa fuerit de presenti, ut per consensum legitimum, & verbis de presenti expressum, sive de futuro, ut per sequentem carnis copulam matrimonium inter eos fuerit celebratum; non tam decretali dicti prædecessoris nostri, quæ in casu dissimili loquitur, quàm inductis probationibus innitentes, te processisse legitime respondemus, & sententiam tuam auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus, auctoritate tibi presentium injungentes ut sententiam ipsam facias monitione præmissa per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari. Nulli ergo &c. Datum Reat. III. Nonas Augusti.

OSCEAN. ET TIRASONEN.  
*Episcopis.*

Epist. 323.  
De Diacono  
cujus amici  
Abbatem trucidarant.  
Cap. Petrus Diaconus. De homicidio.

**P**etrus Diaconus & monachus sancti Iohannis de Pinna sua nobis insinuatione monstravit quòd cum in seculari adhuc habitu constitutum, in Ecclesia de Rigulo quoddam beneficium obtinentem, Abbas ipsius Ecclesiæ illum eodem beneficio spoliasset, cognati & amici ejus Abbati sæpius supplicarunt ut beneficium sibi restitueret memoratum. Quo nolente ipsorum precibus acquiescere, irati plurimum & commoti, nocte quadam in domo Diaconi convenerunt, & cœna facta dixerunt quòd vindictam volebant sumere de Abbate. Inhibiti autem expressè ab eodem Diacono ne Abbatem occiderent, vel aliquid ei facerent unde ordinis sui discrimen incurreret & animæ detrimentum, in eum nihilominus irruerunt, & plagis impositis abierunt semivivo relicto, unde post dies aliquot spiritum exhalavit. Ab illo autem tempore usque hodie prædictus Diaconus de eo quod contigerat tristis effectus, ab administratione cessavit, & nondum expleto bienio, habitum induit monachalè. Vnde à nobis suppliciter petiit edoceri, utrum posset in officio Diaconi ministrare; & si hoc ei liceret, an posset ad majorem ordinem promoveri. Licet autem (si præmissis veritas suffragatur) præfatus Diaconus super Abbatis interitu non videatur esse culpabilis; quia tamen bonarum mentium est ibi culpam agnoscere ubi culpa non est, quòd ab administratione officij se propria voluntate suspendit, vel habitum induit regularem, sibi non ad pec-

\*In Quarta Collet. exspiravit.

catum ascribimus, sed ad meritum reputamus. Quocirca fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus si præmissa noveritis veritate subnixâ, sæpeditum Diaconum non solum in diaconatus officio ministrare, sed etiam ad ordinem presbyteratus ascendere, si aliud canonicum non obstiterit impedimentum, liberam concedatis auctoritate apostolica facultatem, præsertim si super hoc non fuerit respersus infamia, cum ei non debeat imputari quod contra prohibitionem ejus expressam, eo causam vel occasionem non dante, ausu sacrilego proponitur à consanguineis attentatum, divina scriptura testante quòd anima quæ peccaverit, ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris, neque pater iniquitatem filij, quamvis hoc ipsum verius ad æternam quàm ad temporalem referatur vindictam. Datum Reat. II. Nonas Augusti, Pont. nostri anno primo.

ATREBATEN. EPISCOPO.  
& Decano Cameracensi.

**S**icut ex parte dilecti filij nobilis viri Ducis Lotharingiæ nostris fuit auribus intimatum, quando nobilem mulierem Martildem, neptem Philippi quondam Comitis Flandriæ, sibi matrimonio copulavit, idem Comes redditus quinquaginta talentorum percipiendos annuatim in terra Boloniæ præfato Duci assignavit in dotem, quæ post obitum ipsius Comitis nullatenus potuit obtinere, & insuper ipse Comes eandem terram obligavit ei pro trecentis marcis, & septem millibus talentorum. Quia igitur præscripta terra ad proprietatem est carissimi in Christo filij nostri Philippi illustris Regis Franciæ devoluta, & dos pertinet ad conjugium, quod est magnum in Ecclesia sacramentum, nos, qui secundum Apostolum sapientibus sumus & insipientibus debitores, discretioni vestrae per apostol. scripta mandamus quatenus eundem Regem, ut super præmissis memorato Duci satisfaciat ut tenetur, moneatis diligenter, & efficaciter inducat. Alioqui partibus convocatis, audiatis causam, & eam sine debito terminetis. Quòd si ambo &c. tu frater Episcopo. Datum Reat. VIII. Idus Aug.

Epist. 324.  
Vi. Regis Francorum cogit Duci Lotharingiæ dotem redire.

✠